



SECRETARIA STATVS

N° 227487

EX AEDIBVS VATICANIS, 1 Martii 1973

Reverende Pater,

Cum secundum normas per Constitutionem Apostolicam "Regimini Ecclesiae" latas (n. 2, § 5) finis imponatur muneri tibi in Romana Curia demandato, Consultoris scilicet apud S. Congregationem pro Doctrina Fidei, facere non potest Beatissimus Pater, quin gratum animum sponte peramanterque ad te convertat, qui per hoc quinquennium tam proxime Suas de universa Ecclesia sollicitudines participasti.

Pro amore quo erga Ecclesiam in exemplum flagras, probe novit Sanctitas Sua tibi optabile praemium iam esse, quod fidelem generosamque Apostolicae Sedi operam navaveris. Ipse tamen, opportuna hac data occasione, deesse non patitur existimationis Suae testimonium, quo palam innotescat, quam egregie de te sentiat ac de officii tibi concrediti perfunctione.

Memori igitur voluntate erga te affectus, Romanus Pontifex per me gratias tibi plurimas ex animo persolvit, dum supplices adhibet Deo preces, ut honorabiliter a te collata opera supernis muneribus rependatur. Quodsi aegre Ipse te videt ab officio tuo discedere, nihilominus non dubitat, quin ad commodum et emolumentum Ecclesiae multum etiam in posterum conferre possit rerum usus, quem tibi hoc tempore comparasti.

Hos autem paterni animi sensus Vicarius Christi Apostolica Benedictione confirmat, quam tibi tuisque apostolicis laboribus peramanter impertit.

Haec dum tecum communico, qua par est observantia me profiteri gaudeo

Tibi addictissimum

*J. Card. Villot*

---

Reverendo Patri

P. AUGUSTINO TRAPE', O. S. A.